

Irregularitas, quæst. 13; ergo idem dicendum est, etiamsi actus ipse celebrandi, vel ministrandi simpliciter prohibitus sit, quod per primam transgressionem ejus non incuratur irregularitas, sed per secundam celebrationem, quia jam violatur censura, et ita non est novus casus, sed pertinet ad priorem regulam. Nec denique fundari potest hæc irregularitas in sola transgressionem cum pertinacia contra prohibitionem qualificatam, ut sic dicam, et in tali materia, quia de hoc nullum potest ostendi jus, et sine jure nullus potest cum probabilitate irregularitatem aliquam fingere.

4. *Tertius casus improbat*. — Tertius casus est de illo, qui commisit delictum, propter quod suspendendus est secundum jura, licet non sit ipso jure suspensus; nam hic etiam celebrando antequam suspendatur, si accessit simplex præceptum superioris de non celebrando, positum intuitu talis criminis, de quo inquiritur, irregularis fiet. Ita Maiolus supra ex Speculatore, tit. de Dispensat., § Juxta, vers. *Item ordinatus a non suo Episcopo*, qui dicit hunc esse stilum Curie. Et ratio est, quia in eo casu talis prohibitio habet vicem suspensionis; et ideo illius transgressio habet eundem irregularitatis effectum. Et confirmatur ex Concilio Tridentino, sess. 14, cap. 1 de Reformat., ubi dicitur, prohibitionem seu suspensionem Prælati circa Ordinis susceptionem vel usum ita servandam esse, ut nulla licentia, vel restitutio contra Prælati voluntatem suffragari possit. Verumtamen hic casus aut non est admittendus, aut sub priori regula est comprehendendus. Vel enim illa prohibitio imponitur, ut quædam censura, vel tantum ut simplex præceptum. Si ponatur priori modo, etiamsi sit extrajudicialis, et ab homine, dum tamen valida sit, sufficit ad irregularitatem contrahendam, juxta superiorem regulam. Si vero ponatur posteriori modo, non invenio in jure irregularitatem impositam propter talem transgressionem, etiam concurrentibus illis circumstantiis; et ideo non credo illam incurri, quia non sufficit similitudo seu potius analogia, per quam dicitur prohibitio illa habere vicem suspensionis, quia ad irregularitatem plus est necessarium, ut sæpe dictum est. Quin potius, quia in eo casu supponitur causam in eo statu existere, in quo nondum potest pœna legis imponi, quia nondum delictum probatum est, conjectura fit, illam prohibitionem non obligare cum

tanto rigore ac obligaret pœna suspensionis, si jam esset imposita, et consequenter propter illius transgressionem non incurri irregularitatem.

5. *Quartus casus improbat*. — Quartus casus est de sacerdote sacrum faciente sine altari consecrato ab Episcopo, sed propria sponte et auctoritate erecto, vel conficto, ex cap. Nullus presbyter, 4 et 2, de Consecr., dist. 4, ubi clericus in hoc delinquens degradari præcipitur; nam ex illo verbo colligitur tale delictum inducere depositionem, et ejicere jam promotos, et consequenter inducere irregularitatem. Favet etiam Glossa in cap. Nullus presbyter, 2; æquiparat enim illum, qui fingit altare consecratum, quod non est, cum eo qui se fingit sacerdotem, si in utroque casu sacrificet; ergo, sicut in posteriori casu incurritur irregularitas, ita et in præsentis. Atque ita sentit Maiol., lib. 3, cap. 23, num. 2, ex quadam regula, quam posuerat, lib. 4, cap. 3, num. 9, quod omnia crimina, quæ inducunt depositionem, secum etiam afferunt irregularitatem. Quæ quidem regula intellecta de depositione ipso jure lata, est probabilis, non tamen de depositione solummodo ferenda, ut in superioribus ostensum est; nam potius hoc repugnat irregularitati, quæ non ab homine, sed a jure fertur. In prædicto autem casu non imponitur depositio ipso jure, sed ab homine ferenda. Nam in priori textu solum sunt verba comminatoria, *Qui sui particeps voluerit de cætero esse sacerdotii*. Et ibi non agitur de sacerdote consecrante sine altari consecrato, sed de illo, qui Missam dicere præsumit in loco ab Episcopo non sacro, seu non approbato; pro quo delicto sine dubio irregularitas non incurritur, nullo enim jure habetur, sed arbitrio Prælati aliqua suspensio propter hoc delictum imponi poterit, quantum ex illo textu colligitur. In altero vero cap., verba sunt, *Quod si fecerit, si clericus est, degradetur, si vero laicus, anathematizetur*, quæ verba aperte significant sententiam ferendam, non latam. Et præterea expendo pœnam illam non ferri pro crimine sacrificandi sine altari consecrato per Episcopum; nam crimen illud laicis et clericis dicitur esse commune, et utrisque pœna accommodata imponitur; at vero laicus non potest sacrificare in altari; neque enim ibi agitur de laico fingente se sacerdotem ad hoc ministerium fecte usurpandum, sed agitur de duplici alio delicto. Unum est erigendi in Ecclesia consecrata

altare non sanctificatum a proprio Episcopo, vel de licentia ejus. Aliud est fingere dedicationem, ubi non est, quod juxta contextum videtur etiam referri ad altare, tamen a Glossa latius intelligitur de quacumque re, quæ tanquam sacra fingitur, cum non sit, ut si quis reliquias publice proponat tanquam dedicatas, cum non sint. Dicere autem, sacerdotem in aliquo horum delinquentem fieri irregularem, improbable profecto est, cum nullo jure sit cautum; ergo quamvis sacerdos sacrificet in altari non consecrato, non propterea fit irregularis, cum de hoc delicto nulla ibi specialis mentio fiat, neque alibi quoad hunc effectum.

6. *Quintus casus reprobat*. — Quintus casus additur ab eodem auctore, de sacerdote, qui hominem excommunicatum nominatim scienter admittit ad Ecclesiasticam sepulturam; nam illum dicit manere irregularem, ex Clem. 4 de Sepulturis. Ibi tamen hujusmodi sacerdos excommunicatur; de irregularitate vero nulla est mentio; diximus autem supra, quamvis per ministerium sacrum contrahatur excommunicatio, non ideo contrahi irregularitatem per illum actum, quia per tale ministerium non violatur ipsamet excommunicatio; sed præter illud jus, non est aliud quo feratur; ergo non incurritur. Quod melius censuit Speculator, loco superius citato. Potius videri potest similem irregularitatem incurrere clericus, qui in vita, vel in morte favet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum elemosynas accipiendo, vel eis pœnitentiam concedendo sine debita restitutione, vel cautione, vel sepulturis eorum assistendo; hæc enim quatuor genera actionum specialiter prohibentur clericis, in cap. 2 de Raptoribus, in 6. Et subditur in pœnam transgressoribus, *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patientur*. Quæ verba videntur irregularitatem indicare. Verisimilius tamen mihi est, illa verba non significare pœnam ipso jure, sed a judice imponendam. Sicut etiam, quod subditur, *Et Ecclesiastico beneficio careant*, non intelligitur ipso jure, cum hoc non addatur in lege, sed quando illo priventur. Est ergo illa pœna suspensionis perpetuæ, vel depositionis a judice imponendæ, ut Panormit. ibi advertit, num. 2.

7. *Sextus casus Maioli rejicitur*. — Sextus casus sumitur ex eodem Maiolo, lib. 3, cap. 25, num. 6, ubi ait irregularitatem incurrere sacerdotem, qui pro persona vivente Missam

defunctorum dicit, ea intentione, ut mortem illi impetret. Nam in Concilio Toletano XIII, cap. 7, ut citat Gratianus, vel potius Concilio XVII, cap. 5, sacerdos hoc faciens a proprio deponitur gradu. Verba tamen Concilii sunt, *A proprio deponatur gradu*. Quæ verba sententiam ferendam continent, non latam; et ideo non pertinent ad irregularitatem. Et deinde additur pœna exilii perpetui, et privationis communis, ferenda etiam in eum, qui sic deliquit. Quæ extenditur ad illum, qui sacerdotem ad talia peragenda incitasse perpenditur, de quo multo certius est non manere irregularem (quidquid Maiolus dicat), quia deponendus est. Nec refert, quod delictum sit utrique commune, quia lex non æqualiter illis pœnam imponit, nec sine causa, cum non æqualiter delictum committant. Minusque probabile est, quod ibidem dicit, incurrere etiam illum, qui ministrat cum eadem intentione sacerdoti dicenti Missam illo modo, quia de ministro nihil in eo textu dicitur. Et argumentum, quod ipse sumit ex cap. 2 de Apostatis, non est efficax in materia irregularitatis, ut sæpe dixi. Præsertim, quia rebaptizatio, de qua in illo textu est sermo, magis odiosa est in jure, unde qui in illa ministrat, cooperatur rei nefandæ (ut ibi dicitur), ideoque illa irregularitas ad ipsum extenditur, non semper, sed quando delictum est publicum; hic vero nulla talis extensio fit. Huic pœnæ similis est alia, quam ex dicto Concilio Toletano refert Gratianus, in cap. Quicumque, 26, quæst. 5, ferturque propter delictum denudandi altaria, aut lugubri ornatu ea vestiendi, aut alia ornamenta Ecclesiæ auferendi, solum propter animi sui tristitiam, et non causa religionis aut observandi Ecclesiasticos ritus. Quam pœnam Maiolus etiam interpretatur esse irregularitatem. Sed revera non est. Nam in primis, si per veram pœnitentiam et satisfactionem purgaverit delictum, nulla pœna imponitur; si autem impœnitens fuerit, loco dignitatis suæ, et honore privandus dicitur, *ignobilitati perpetuæ mancipatus*. Quæ verba et pœnam ab homine ferendam continent, et sine depositione ab Ordine, per privationem alterius dignitatis, aut beneficii verificari possunt.

8. *Septimus Maioli casus non admittitur*. — Antoninus exponitur. — Septimo dicitur fieri irregularis clericus, qui prætermissa toto celebrandi et sacrificandi ritu, quem Ecclesia servat, corpus et sanguinem Domini

conficit. Ita Maiolus, libro 3, cap. 26, num. 5, qui nullus jus affert, sed ratione utitur, quia cum tam aperte quispiam abutitur potestate sacerdotali, indignus fit illa, omnique usu ejus. Citat præterea Archiepiscopus Florentinum, tractat. de Censuris et irregularitate, cap. 87, verb. *Tertio nota*, dicentem, sacerdotem prohibitum dicere Missam, si sine illa conficiat corpus Domini, irregularem fieri. Verumtamen prior ratio probat quidem hoc delictum dignum esse tali pœna, si jure imponatur; tamen meritum culpæ non est sufficiens ad probandam pœnam, nisi ostendatur jure lata, quod maxime necessarium est in irregularitate, ut sæpe dixi. Cum ergo in prædicto casu non habeamus tale jus, non possumus irregularitatem novam introducere propter solam culpæ gravitatem. Dictum autem, quod ex Antonino citatur, longe diversum est; nam in eo casu dicit fieri sacerdotem irregularem, non quia conficit corpus Christi sine Missa, sed quia prohibitus dicere Missam, conficit corpus Christi. Nam, etiamsi dicatur illud conficere sine Missa, quia non servat Ecclesiasticum ritum, exerceat nihilominus maxime substantiale opus Missæ, quod est consecrare, nam in eo substantia sacrificii posita est, et in eo consistit potissimus usus potestatis sacerdotalis; et ideo, qui illum exercet prohibitus, irregularis fit. Necesse est autem hoc intelligi de sacerdote prohibito per censuram, seu Ecclesiasticam suspensionem, ut supra visum est.

9. *Octavus Maioli casus excluditur.* — Octavo, Episcopus male utendo potestate ordinandi clericos, dicitur fieri irregularis, ut quando aliquem ordinat per saltum, subdiaconum, v. gr., immediate ordinando sacerdotem. Ita Maiolus, lib. 4, cap. 4, num. 40. Quod non probat ex speciali jure, sed ex duobus principiis colligit. Unum est, eum qui facit alium irregularem, manere etiam irregularem, quod dicit esse manifestum in jure, probatque exemplis de eo qui mutilat, vel deformat alium. Aliud principium est, eum, qui per saltum ordinatur, irregularem fieri, ex quibus recte concluditur, ordinatorem etiam manere irregularem. Unde generalius infert, in omnibus casibus, in quibus ordinatus manet irregularis, etiam Episcopum ordinantem irregularem fieri, cum ille discursus in omnibus æque procedat. Sed in primis supra a nobis dictum est, hujusmodi ordinatum per saltum non esse irregularem, sed suspensum. Deinde etiam principium illud generale non

est tam facile admittendum, illudque tanquam falsum refellit Navarrus, cap. 47, num. 207, et Covarruv., in Clem. *Si furiosus*, p. 3, in princ., num. 8. Primo, quia in nullo jure continetur, et ex particularibus exemplis, et non admodum certis, non recte infertur generalis regula, maxime in negotio irregularitatis, in qua argumentum a simili non valet. Dico autem exempla non esse admodum certa, quia de illo, qui deformat sine mutilatione, incertum est, an maneat irregularis; de mutilatore autem est certum, quia mutilator est, de quo jura disponunt, non formaliter, quia facit alium irregularem. Præterea aliis exemplis ostendi potest illud principium non esse verum, nam pater generans filium illegitimum facit illum irregularem, ipse vero non efficitur irregularis. Item, qui alium infamat, est causa irregularitatis ejus, ipse tamen non fit irregularis. In prædicto ergo casu non censeo Episcopum sic ordinantem fieri irregularem, quidquid sit de irregularitate ordinati. Sicut etiam, licet ordinatus maneat suspensus, ex eo præcise capite non suspenditur Episcopus ordinans, nisi in illum speciali jure sit lata suspensio, quia non est necesse, vel ex natura rei, vel ex aliquo generali jure, quod suspensio ordinati communicetur seu derivevetur in ordinantem; et ideo Pontifices in hujusmodi decretis pœnalibus distincte contra ordinantes, et ordinatos loquuntur. Idem ergo majori ratione de irregularitatibus sentiendum est, cum magis necessarium sit irregularitatem esse in jure expressam contra eum, qui illam incursum est.

10. *Ultimus casus Maioli improbat.* — Ultimo loco hic breviter expendenda est quedam irregularitas, quæ ferri putatur in cap. Licet, de Electione, ubi Cardinalis effectus in Papam a minori, vel non sufficiente numero Cardinalium, id est, a paucioribus, quam a duobus partibus, *si Papatum usurpare conetur, tam ipse, quam ii, qui eum receperint, excommunicationi subjaceant* (ibi dicitur), *et totius sacri Ordinis privatione mulcentur*. Quæ posteriora verba irregularitatem significare videntur. Atque ita illa exponit Maiolus, lib. 4 de Irregularitate, c. 4, n. 5, citans Speculatorem, in c. Ubi periculum, de Elect., in 6. Sed in primis illud delictum potius est abusus jurisdictionis, quam Ordinis. Deinde in illis verbis non invenio sententiam ipso jure latam, nec privationem Ordinis, quæ ipso facto incurratur, sed quæ ferenda sit, ut verbum, *mulcentur*, aperte declarat, et ideo

depositionem potius quam irregularitatem ibi imponi censeo. Idque expresse invenio notatum in Panormitano ibi, num. 7, ubi priorem pœnam excommunicationis intelligit esse ipso jure latam, et merito, ut suo loco tractavimus; posteriorem autem esse depositionem ab Ordine a iudice ferendam; nulla ergo ibi fertur irregularitas. Neque præter enumeratas invenio aliquam aliam, quæ ad hoc genus delicti circa usum Ordinum pertineat.

DISPUTATIO XLIII.

DE IRREGULARITATIBUS, QUÆ EX ALIIS DELICTIS, VEL EORUM INFAMIA CONTRAHI POSSUNT.

In disputatione hac non dicam de homicidio, tum quia materiam habet ampliolem; tum etiam quia in ea non sola ratio delicti, sed etiam specialis significatio consideratur. Ex aliis vero delictis duo in specie consideranda occurrunt, scilicet, hæresis, sub qua comprehendo etiam schisma et omnem apostasiam a fide vel ab Ecclesiastica unione, et simonia. Deinde vero generatim dicemus de aliis criminibus, sive occultis, sive publicis. Et quoniam infamia ex criminibus generatur, aut veris, aut existimatis, ideo in fine disputationis, irregularitatem, quæ ex hujusmodi infamia incurri potest, declarabimus.

SECTIO I.

Utrum per crimen hæresis incurratur irregularitas.

1. *Hæreticus proprie quis.* — Omittimus varias divisiones seu acceptiones hæreticorum, quas jurisperiti tradere solent, dicentes quosdam vocari hæreticos, quia male sentiunt circa doctrinam fidei, alios quia de illa dubitant, juxta illud, *dubius in fide infidelis est*, cap. 4 de Hæret. Alios, quia primatum Romanæ Sedis auferre moluntur, juxta c. 4, dist. 22. Solet etiam hæreticus vocari simoniacus, quia vendendo, et emendo res sacras, male de illis sentire videtur, juxta cap. Quidquid, 4, quæst. 4. Imo et excommunicatus, præsertim si longo tempore excommunicationem contemnat, hæreticus aliquando appellatur, ex cap. 2, 4, quæst. 4. Verumtamen, licet ad intelligenda jura possit hæc declaratio vocabulorum deservire, tamen in præsentem proprie et formaliter de hæreticis agimus; suntque illi, qui post baptismum susceptum, a fide Romanæ Ecclesiæ pertinaciter

recesserunt. Quod autem hoc sit in uno, vel altero articulo, vel etiam quod sit doctrinam contrariam asserendo, vel de veritate ac certitudine Catholicæ fidei dubitando, solum pertinet ad materialem distinctionem hæresis. Cætera autem vitia, quæ non ad intellectum, sed ad pravos mores et actiones pertinent, quamvis possint hominem reddere suspectum de hæresi (de quo infra dicemus), non tamen verum hæreticum constituunt, quia, licet ea vitia committens, practice erret, non est necesse, ut iudicium falsum habeat circa dogmata fidei. Dixi autem requiri, ut homo sit baptizatus, quia licet fortasse ante baptismum possit aliquis esse hæreticus, ut cathecumenus, qui prius rectam fidem de omnibus articulis concepit, et postea pertinaciter ab aliquo dissentit; quod vitium tam quoad moralem malitiam, quam quoad intellectualem errorem fortasse ejusdem rationis est cum hæresi hominis baptizati; tamen in præsentem illum non vocamus hæreticum, sed simpliciter infidelem, tum quia solum de illis hæreticis agimus, qui jurisdictioni Ecclesiæ subduntur; tum etiam quia jam dictum est, neminem esse capacem propriæ irregularitatis, præsertim illius, quæ contrahitur ratione delicti, nisi post baptismum.

2. *Communis sententia.* — His ergo suppositis communis sententia est, propter crimen hæresis irregularitatem incurri, ita ut neque dum aliquis in hæresi permanet, neque post illius detestationem, veramque penitentiam, et absolutionem, possit ordinari absque dispensatione, qui semel in hæresim lapsus est. Ita tenet Maiolus, lib. 5, c. 46, et Franciscus Penna, in Directorio Inquisitorum, 3 p., comm. 162, ad quæst. 113, citantes Anton., tract. de Censuris, et Speculatorem, et idem sequuntur Sylvest., verb. *Irregularitas*, q. 5, et alii Summistæ. Expendere autem oportet jura, ex quibus hæc irregularitas elicitur. Primum est, cap. Saluberrimum, 4, quæst. 7, ubi clerici revertentes ab hæresi recipiuntur quidem in Ordine, quem habebant, non tamen ulterius promoveri permittuntur. Quod confirmatur ex VII Synodo, in cap. Convenientibus, eadem caus. et quæst., et ex cap. Nos consuetudinem, d. 12. In his autem locis nulla mentio laicorum fit, neque etiam suspensionis seu privationis executionis Ordinis jam suscepti. Nihilominus tamen citati auctores docent, laicum nullo modo posse post hæresim ad clericatum promoveri. Et ratio esse videtur, quia hæc promotio non prohi-